



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdx Magistratevs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

§. VII. De pacis ac belli arbitrio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

atque directum feudorum dominium; posterioribus publica potestas significatur. Vnde qui ad supremum Imperium viam sibi sternebant, superioribus sæculis in Gallia, ac alibi leges condebant, Magistratus creabant, bella gerebant Marte suo, pacem pangebant, monetam suam imagine signatam cudabant, pecuniam populo impearabant, coronam, quam hodie insignibus tantum pictura adscribit, capiti imponebant: ad morem Caligulae, qui parum absuit quin diadema sumeret, & speciem Principatus in Regnum conuerteret. Inter hæc inquam indicia supremiatis semper extremam prouocationem penes se sistebant. donec tandem regijs rebus firmatis Parlamenta illorum appellationes à subditis istiusmodi regulorum receperunt, leges infirmarunt, magistratus, nisi ab eis probarentur, deiecerunt, arma mouentes in reorum maiestatis numerum receperunt, nummos ab illis cufos aureos, atque argenteos reprobarunt, collectas vetuerunt, priuilegiarijs casibus exceptis, ac tandem in iustum ordinem redegerunt. Latius Pasquier *Recherches l. 2. c. 2.* Loyleau de *seigneuries l. 1. c. 5. n. 60.*

Germaniæ Principibus Electoribus, alijq; non paucis notæ fere Regum competunt, si Iurisdictionem Camerae Imperialis excipias, & Imperij constitutiones *de pace seruanda, &c.*

Ex his fluit & ea ratio, ne liceat inferioribus Principibus multiplicare Iurisdictionum gradus, ne cum tertio prouocare non liceat, vltima ad illos interponatur; quamquam hoc ipsum, quod de tertia prouocatione ius statuit, non passim seruetur, vbi iam pridem gradus multiplicati sunt. quia vno absurdo dato cætera sequuntur.

§. VII.

De pacis ac belli arbitrio.

Arbitrium pacis & belli nota est supremæ potestatis. bella decernere, & pacem pangere. nam contrariorum eadem est doctrina, & maiestas est arma capere iniussu Principis. *l. 3. ad leg. Jul. maiest.* vnde procul absunt à iure Romano depraedationes quæ vassallis aliquando Iure feudorum in dominos permittuntur, *lib. 2. feud. tit. 22.* nec olim nisi comitijs populi centuriatis bellum decernebatur. & sponfione, quæ iniussu populi Romani facta erat, non tenebatur populus. vt censet Posthumius apud *Liu.* qui & hæc addit, *quid si spondissemus urbem hanc relicturum populum Romanum? si incensurum? si Magistratus, si Senatus, si leges non habiturum? &c.* plerumque in sponfionibus ducum adiungebatur, *ita id ratum fore, si po-*

4.

Qui imperiam afferant, has notas ad se trahunt.

5.

6.

Iurisdictionum gradus tertiam appellationem vltimam non faciunt.

7.

Nihil de bello, aut pace statui nisi ab eo qui supremus.

si populus censuisset. Quare cum populus Romanus per pacta Consulium iniussu suo inita obligari non potuerat, ea contra dignitatem salutemque publicam contracta pro irritis habuit. ne tamen vel in speciem fidem lædere videretur, Consules per feciales Samnitibus tradiderunt loro vinctos, ut iusta fieret deditio, & erroris publici poenas lucrent illi, qui commisissent.

2.
Huc & ca-
stra & ar-
ces.

Sic ad belli iura spectant arma, armorum fabricæ, armamenta-
ria, arces, muri, fortalitia, castella, facultas concessa extruendi, &
ne vicinis extruere liceat. Vnde sine publica auctoritate circa mu-
ros publicos nihil licet. *l. 9. §. 4. D. de rer. diuis.* & apud Tacitum
Iudæi ius muniendi magnâ pecuniæ vi redemerunt.

3.
Aliâq;
spectant.

Speçant & huc pignorationes, reprefaliæ, litteræ marcæ, publici
hostis declaratio, securitas, guardia, saluus conductus, legati mis-
sio, receptio, comitia generalia, &c.

§. VIII.

De legatis.

1.
Mittere &
recipere le-
gatos supre-
mi est.

Legatos mittere & recipere etiam ad maiestatem pertinet. pro-
prie enim à Principe Supremo legatio mittitur. ut ferè hodie
censent. Marselaer, *de legato. c. 2.* Vnde Curt. *l. 10.* & *pristina*

2.
Quomodo
gloriorum?

*quædam regia species manebat. nam & legati gentium Regem adibant, & co-
piarum duces aderant, & vestibulum satellites armatique compleuerant,*
eò potissimum quod summæ legatorum mittendorum causæ so-
lent esse belli, pacis, aliarumque summarum rerum negotia. Quare
subditi ius legationis non habent, nisi largo modo loquendi, pro
Oratoribus, Deputatis, Commissarijs. quamuis *tit. D. & C. l. 10.*
de legation. eos nomine legatorum comprehendat. Sic ciuitatibus
ex edicto Vespasiani legatos, sed ternos, non plures mittere licet. *l.*
4. in fin. D. de legation. Sed tamen nec sine consensu Præsidis *l. si quis.*
16. C. de decur. quod & in Prouincijs obtinet, ut sine assensu Præfe-
sti prætorio legatum mittere non possit, *l. pen. C. de decur. Panircir. ad*
Notit. Imp. tit. de Magistr. municip. c. 26. legat. quin & ciuitatis statu
turbato legati partis alterius prærogatiuam obtinent, ne violari
possint. *Cic. lib. 3. de fin.* alioquin è medio tollatur ratio compescen-
dæ seditionis forsan ortæ. extra hunc casum, vix priuilegium eius-
modi competit. Vnde apud Liu. *l. 6. Colonis Circeiensibus denuntiatum,*
*Senatus verbis, facesserent prope ex vrbe, abs ore atque oculis populi Roma-
ni, ne nihil eos ius legationis externo, non ciui comparatum tegere.*